1231.

Jacobus Iacobi
Carmen De Animae
Hvmanæ Immortalitate.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

DA. Box



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= LN 1665 ex. 2

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

57.

CARMEN DE ANIMAE HVMANÆ IMMORTALItate, indubitata certaq́ corporis reſurrectione atq́ læta vitæ æternæ perfruitione.

Scriptum

A

IACOBO IACOBI
Othonienſi.

HAFNIAE
Imprimebat Andreas Gutteruitz, 1582.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)



INSIGNIA CHRISTIANI FRIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

AMPLISSIMO VIRO, NATALIVM SPLENDORE, DOctrina, humanitate omniumq́; virtutum choro ornatiſſimo, D. CHRISTIANO FRIS de Borreby domino ac mecœnati ſuo benigniſſimo

εὖ πράττειν.

C Aſtalidum, Phryſum genus alta columna, ſororum
H oc noſtro ſæclo, vir generoſe, fuit.
R e probat eximiûm Phryſorum nobile lumen
I ANVS, cui ſe Rex reſq́; ſuaſq́; dedit.
S cilicet vt doctus, Muſas ſic fouit amænas,
T eſtatur ſtudijs hoc Helicona petens.
I lle ſcholas paſſim quot habet tua, DANIA, tellus
A ttalicis auxit templaq́; diuitijs.
N emo poteſt igitur (nec dicere vera pudebit)
O rnare vt decuit nobile ſtemma tuum.
P ergens Mæonidas idcirco amplectere Muſas,
H iſq́; faue & faueas, teq́; imitere rogo.
R egia quandoquidem res eſt ſuccurrere egenis,
I pſe etiam id fieri vultq́; iubetq́; DEVS.
I ngenuas quærunt quicunq́; fideliter artes
S edulus auxilio conſilioq́; iuua.
I ntereà impulſus veſtro quod nomine ſcriptum
O ffero, Mecœnas conſule quæſo boni.

I. I. O.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

CARMEN
DE IMMORTALITATE ANI-
mæ,indubitata certaq; corporis humani re-
ſurrectione atq; vita æterna.

SAcra docent animas reſoluta viuere carne,
Membraq; vetur æ facto reuocamine vitæ
Surgere,& æthereis ſubitò conſidere regnis.
Principio ille opifex hominum rerumq; repertor,
Jn vaſto reliquis animantibus orbe locatis,
Sanctius his animal mentiſq; capacius altæ,
Quod voluit ſemper dominari in cætera, viuam
Finxit in effigiem ſibi, & altæ ſemina mentis
Jndidit, æternum quò ſe oblectaret eodem.
Ergo homines huius non claudunt finibus æui
Vitam, degenerans quod Sadducæus ab almo
Nomine, comprenſo quondam velut enſe, negauit.
Adde quòd intentus formando dixit Adamo:
Nunc hominem noſtra decoremus imagine,neutram
Excipiens partem, conflatos vnde videmus
Nos homines, ab eo quotquot producimus ortum.
Proſpexiſſe Iouam, (falſò quod Marce magiſter
Hæreſeos clamas) cum proſperitate futuras
Delitias animæ nec non cæleſtia tempe,
Corpore poſthabito, cuius terraq́; mariq́;

Caſibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

Caſibus exhauſtis varijs multiſq; periclis
Infandum ſentire nefas: num dicere fas eſt?
Juſticiæ Domini qui ſeruantiſſimus æqui
Virtutiſq; piæ laudes id derogat omnes.
Sæua Tyrannorum fuſo tormenta cruore
Incaſſùm læto tot martyres ore luebant?
Num fruſtrà Antiocho nota feritate Tyranno
Septem filioli patriæ tàm legis amantes
Corpora ſupplicijs tantis lanianda dederunt?
Nunquid & ardenti, Decio cogente Tyranno,
LAVREVS in pruna ſibi ſpem retinebat inanem?
Corpora martyrijs ſummis lacerata canebant
Extremâ reddenda ſibi diuinitùs horâ.
Deniq; qua ratione animæ aut quo nomine corpus
Inferius fiat, non noſtra mente videmus,
Quò minus Ambroſia vinaci & nectare dulci
In Paradiſiaco cum Diuis victitet horto,
Cauſa animæ ſubeat cùm tot diſcrimina, totq;
Perferat infandos hic ſuſtineatq; dolores.
Forſitan ambiguas retrahat ſententia mentes
Poſſe ſuam tandem corpus conquirere formam
Piſcibus, alitibus, fuit & quod vermibus eſca,
Ne mirere tamen: ſed contemplare coruſcis
Cœlum ſideribus, nec non quæ ſubiacet illi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Telluris ſphæram, flores quæ promit amænos
Innumeros, quæ tot fragrantes procreat herbas,
Tot ſtirpes, quas vel magnatum fercula quærant
Herculeus medicæ vel Pæan deſtinet arti.
Cernis quot volucres menſurant aëra pennis,
Quotq; ſuis Piſces percurrunt æquora pinnis.
Pinguia frugiferæ quot habent animalia terræ?
Vita quibus præſens grata eſt & cultus agrorum.
Omnia de nihilo, ſed verbo condidit vno
Hæc Dominus: Vires quis ei collapſa negabit
Inſtaurare, ſuam vel quæ fuit indere formam?
Confractos renouare ſcyphos & fuſile quoduis
Aurifaber potis eſt talemq; inducere formam
Quæ veteri præſtat, nec eum labor ille grauabit.
Cur minus æthereum putrefacta ciere ſepulchris
Membra putas Dominũ, et ſpeciẽ ſine labe perennem
Reddere, cùm valida quæ vult facit omnia dextra.
Deniq; præſenti vitam ſi claudimus æuo
Triſtius humana quid conditione futurum eſt?
Nam quodcunq; pijs labentis degitur æui
Aduerſum fertur (quod inenarrabile) duro
Seruitio: infanda paßim ditione premuntur
Atq; fame, ſit eis vt vitæ nulla voluptas.
Inſuper iniuſti generoſo nectare cellas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Implent & Crœſ. ſumma nituntur opum vi,
Et clandeſtinis conantur fraudibus agmen
Perdere cœlicolum fundoq; euertere ab imo.
Ergo dies aderit rigidus quo Cenſor ab vmbris
Membra vocet iuſta ſuſpendens omnia lance.
Hoc ſolameu erit, quod & hic meminiſſe iuuabit,
Quòd promiſſa Dei fidas ſententia mentes
Non fallat, cui tanta fuit clementia cordi.
Hic promiſit enim (damnato ad lugubre fatum
Vnius ob noxam mundo) vt noua cuncta crearet,
Et maria & terras, tandem cœlumq; profundum
Conderet & toto gens ſurgeret aurea mundo
Quam ſibi ſublimem cœli in ſtatione locaret.
O miſeras igitur mentes, ô pectora cæca,
Talia dicentis nulla ſi voce mouemur:
Namq;, fide maius, mira ſub imagine, cœlo
Js caput exeruit commendans Ezechieli
Arida quòd ventis immiſſis redderet oſſa
Viuida. dat mandata ſacro ſic ore locutus:
Surgite cœleſti, vos oſſa, iubente Iehoua
Surgite, nymbiſonis ne dentur verba procellis.
Dixerat, affatu magno ſe murmure venti
Eripiunt ſubitò, tempeſtateſq; ſonoras
Miſcere incipiunt, tunc oſſa recumbere campis

Quis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Quis putet? at tanto impulſu (mirabile viſu)
Aëris & venti volitant raptimq; feruntur
Per campos, magnam veluti miſcentia pugnam.
Sicut acerba manus quando in certamina ſtricto
Concurrit gladio: Sic oſſa vocantia carnes
Mortua conuolitant ſocias exquirere partes.
Vt quocunq; vides, nil ſit niſi campus & oſſa.
Oſſa quidem nerui motus ſenſuſq; miniſtri
Conſociant, σκελετὸς robur ſibi firmius addit
Carnes, cum motus famulis compluribus, vnà
Multiplicis venæ & thecæ comitante caterua
Aëriæ, hinc niuea cute circumdantur & artus.
Attamen in campis vegitante carentia flatu
Strata iacent, & eis vates defixus inhæret
Obtutu, nec res animum benè cognita turbat.
Nam Deus AEolios vinclis & carcere ventos
Soluit, fulmineo campos vt turbine perflent.
Mortua tunc videas miſceri corpora viuis
Quæ velut inſtructis ſurgunt exercitus alis.
Haud ſecus Empyreo cum fert ſua ſancta voluntas
Perfacile eſt Domino, tabefacta cière ſepulchris
Corpora, credentum patriaq; in ſede locare
Quis precor ex oculis hominū ſubduxit Enochum
In Superum thalamos, nullus quo iuſtior alter

Nec

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

Nec pietate fuit, nec fama maior honeſta?
Sedulus intrepidè cœleſtis ſemina lucis
Sparſit, primæuum ſceleriſq; coarguit orbem
Deflexit qui ſpontè Iouæ de tramite recto.
Ecquis & igniferum trans æthera vexit Eliam
Flammanti curru & radiantibus intulit aſtris?
Ipſe (fatebor enim) reges procereſq; potentes
Noctes atq; dies propria in ſtatione regebat.
Hic meminiſſe iuuat, cùm ſit memorabile, facti
Edere quod placuit patrijs abiturus ab oris.
Diſſectum tunica ſicco pede tranſijt altum
Jordanum, fido ſolus comitatus Eliſa.
Qui fruitur grato dulcis tranſgreſſus alumni
Colloquio, ſeſe cui cuncta rogata daturum
Promiſit prius æthereum quàm ſcanderet axem.
Panditur intereà domus omnipotens Olympi
Flagrantem cœlo currum qui miſit ab alto,
Cuius equi rutulum mandunt ſub dentibus aurum,
Fumeus afflatu de naribus æſtus anhelo
Vndat & ore fluunt contorto vertice flammæ.
Hunc Vates pius abſq; mora conſcendit Elias
Ac è conſpectu Galgæ telluris, equorum
Lora tenens leuibus ventorum adremigat alis
Cœlicolas, comitem lachrymantem & multa parantẽ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Dicere dimittens, memorì ſed pectora ſeruans:
Nam memor illius ſignis auroq; rigentem
Demiſit pallam, ne non donatus abiret.
Atq; ait: extremum hoc abeuntis munus habeto.
Do tibi, ferto inquam, te nunc habet iſta ſecundum,
Jamq; vale longum formoſe vale, inquit, Eliſa.
    Hac ratione tuæ patria bonitate benignum
Conſuluiſſe Deum fidei, cùm languida, credas.
Humanas quod enim ſupereſſe & viuere mentes
Firmius eſſe poteſt magis aut memorabile ſignum?
    Deniq; ſaluificus, ſi mens non læua fuiſſet,
Sæpius oſtendit viuo paradigmate Chriſtus.
Matris quæ fuerat perdulci orbata marito
Filiolum accelerans animam in ſua membra reducit.
Filiæ Iairj Lethi quæ capta ſopore
Sollicitat dextram dextra reuocatq; ſub auras.
E gelidis, vbi iam moribunda putreſcere membra
Jncipiunt, tumulis Eleazaron ire iubebat.
    Præterea vitæ ſumma argumenta futuræ
Attulit, exuuijs trepidi quòd onuſtus Auerni
Chriſtus in heſternum rurſus ſurrexerit æuum,
Qui miſeris aditus ad Olympi florida Tempe,
Diuorumq; aperit patriam ſedeſq; beatas.
Quid Styx exultas? vbi nunc tua tela? tui arcus?

Obliquæq;

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

Obliquæq; acies ? & tinctum haſtile cruore ?
Ecce iacent tecum de quo victoria parta eſt,
Ne tende vlterius : maneat iam meta furoris.
    Imperium, redijt quoniam victricibus armis,
Imponat finem cui nullus terminus æui
Omnes, militiam niſi detrectare velimus,
Vicimus : vt nulla poſsit nos lædere parte.
    En erit ille dies & ineluctabile tempus
Adueniet properans, ô terq; quaterq; beatos
Chriſtigenas, tantos qui percipiemus honores:
Nam freta reſtituent homines in littore merſos,
Et ſua turriferens quæ clauſerat oſtia tellus
Recludet, mœſtis liber quò quiſq; ſepulchris
Depoſita veterum procedat mole malorum.
Si diuerſa ſagax ſua ſemina miſcet in vnum
Ruſticus, & nullo paſsim diſcrimine ſpargit,
Nonne ſuæ tandem ſpeciei germina promunt ?
Atq; ſuum pleno producunt munere culmum ?
Cur minus humanæ varijs ſubſtantia carnis
Sparſa modis, ſpecie quam mors aboleuerat, igne
Siue etiam rapidi violento gurgite ponti,
Ocyus in vitam transformaretur eandem ?
    Cernimus in ſcrobibus Bruma torpeſcere plantas:
Attamen in viuam, reſoluto emergere ſtirpem

Frigore,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Frigore, quis nobis vires non cedit eaſdem?
Cùm, licet innumeris morborum clade periclis
Expoſitum bibulo tumuletur puluere corpus,
Inde tamen validum niueoq; nitore reſurgat.
Nulla quidem priſcæ remanent veſtigia labis:
Qualis in hoc ſæclo fragiles infecerat artus.
Fermentoq; carent omni pia corda vetuſto
Quò minus occultas poßint committere fraudes.
Ergo dies vitæ primus, primuſq; bonorum
Cùm ſua ſigna refert clangore ſonante tubarum,
Corpus perpetuis animæ ſociabitur horis
Et poſtliminiò direptos incolet agros,
Agros quos Stygius nunquam vaſtabit Auernus.
Hìc licet à facie, non cæco ænigmate, Magnum
Ritè videre Deum, pariterq; videbimur illi.
Sanctorum dulci vatum ſermone fruemur
Atq; patrum, memori qui nobis nomine clarent.
O fortunatos nimium multumq; beatos
Chriſticolas, quibus his liceat conſidere regnis,
Regna, procul gemitus, & quæ mala cuncta fugabũt:
Sæuus enim turpes nunquam meditabitur Orcus
Inſidias, ſed erit captus vinctuſq; catenis
Victor eum quondam veluti conſtrinxit Ieſus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)

1231.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1231 4° (LN 1665 8° copy 2)